

Anferus Graecus ann. mens. I dies XV, sepultus in cimiterio
Callisti. Iste constituit, ut episcopi sine auctoritate
Romani pontificis in ecclesiis gesta martyrum non
legerent, et mutationes episcoporum, quoties gravis
necessitas vel utilitas exigit, absque ambitione
et venalitate fierent, aliter non. Indict. XIV.

Pontianus Romanus ann. V mens. II, sepultus in cimiterio Callisti.
Iste constituit, ut episcopi sine auctoritate Romani
pontificis a propriis ecclesiis non eiiciantur.
Indict. II.

Fabianus Romanus ann. XIII mens. I dies X, sepultus in cimiterio
Callisti. Iste divisit regiones diaconibus et septem
diaconos constituit, qui immiserent notariis, ut
gesta martyrum in integrum colligerent, et ut
nullus unquam praesumeret esse accusator et
iudex. Indict. I.

Cornelius Romanus ann. III dies X, sepultus via Appia. Iste con-
stituit, ut nullus sacerdotum causam suam alterius
committat iudicio nisi ad sedem apostolicam fuerit
appellatum et sacramentum non exigi a sacerdote
nisi pro recta fide. Indict. XV.

Lucius Romanus ann. III mens. III dies III, sepultus via Appia.
Iste constituit, ut duo presbyteri et tres diaconi in omni
loco episcopum custodiant semper. Indict. III.

Stephanus Romanus ann. III mens. II dies XV, sepultus in cimiterio Callisti.
Iste constituit, ut sacerdotes et levitae vestes sacras in quo-
tidiano usu non haberent. Indict. VI.